


05

A

2348





DISPUTATIO JURIDICA

De

RERUM DIVISIONE,
EARUMQUE JURE GENTIUM,
ACQUIRENDO DOMINIO.

Ex tit. 1. lib. 2. Institut.

Quam

D. O. M. A.

In celeberrima VVittebergensium
Academia

SUB PRÆSIDIO

Dn. ALEXANDRI FABRI
J. U. D.

Ad diem 22. Junij privata Nobilissimorum
& Doctissimorum Dn. Collegarum discussioni ho-
ris matutinis & pomeridianis subjiciet
& defendere annitetur.

FRIDERICUS GUNTHERUS,
Lauba-Lusat.

VVITTEBERGAE,
Ex Officina Johannis Gormanii.
M. DC. XI.



VIRIS

*MAGNIFICIS, STRENUIS, VIR-
tute & stemmate nobilissimis, Amplissimis, Con-
sultissimis, auctoritate, integritate, doctrinâ,
Sapientiâ præstantissimis,*

**Dn. FRIDERICO à Nimpsch, in
Falkenhan & Schwarzbach/&c.**

**Dn. ADAMO à Schweinoch & Schwein-
haus in Kulmitz &c.**

Dn. DANIELI STAUDIO J. U. D.

**Dominis Patronis, Meccoenatibus, Fautoribus,
ac Promotoribus suis magnis, æternumq;
honorandis**

*Exercitium hoc Academicum, in vere
observantia, & gratitudinis signum*

Offert, dicit, addicit, consecrat,

FRIDERICUS GÜNTHERUS



05 A 2348



Continuatio.

Ria Iuris objecta sunt, persona, res & actiones. De primo haecenus actum. Nunc ordinis ratio postulat, ut ad secundum progrediamur. In hac autem Disputatione tractabimus duntaxat de rerum divisione, earumque acquirendarum modis, non quidem omnibus, sed ijs tantum, qui sunt juris gentium, & in hoc tit. considerari solent.

Thesis. I.

Rel appellatio generalissima est, & quaecunque in tota rerum natura inveniuntur, (a) continet, siue corporalia sint siue incorporalia (b) in vel extra nostrum patrimonium, (c).

(a). l. 1. ff. de rebus credit. Hinc Aufonius scribit: Imperium, litem, venerem, cur una notat res? Quid enim in hac universa rerum natura reperiri potest, quod res non sit?

(b). l. 6. ff. de V. O. l. 5. l. 23. ff. de V. S. l. omnia. 32. in f. ff. de legat. 2. Accipitur tamen etiam specialiter, & opponitur personis & actionibus, §. ult. Inst. de J. N. G. & C. l. 1. ff. de statu hom. Gad. ad l. 5. n. 4. & seqq. ff. de V. S.

A 2

Et



Et in hac quoque significatione, non tantum pro rebus corpora-
libus; verum etiam incorporalibus. tot. tit. Inst. de rebus
corpor. & incorp. Hinc jura, atque sic obligationes quoque re-
cte ad jus rerum referuntur. arg. l. II. ff. de accept. Gæd.
ad l. 49. n. 8. de V. S. & de contrah. stipul. c. 9. conclus.
3. in f. Dn. Forst. p. 1. disput. 2. thes. 1. Dissent. Vult. lib.
1. discept. 4. & 16. & ad princ. Instit. de obligat. quem
sequitur. Ant. Matth. in notis h.

(c). d. l. 5. ff. de V. S. Sunt quidem qui existimant, ter-
tiam rerum speciem dari, earum scilicet, quæ neque in patrimo-
nio, neque extra patrimonium nostrum sunt. Julius Pacius.
Cujac. & Borch. h. Verum illorum sententia non immerito
rejiuitur à Donello lib. 4. com. c. 5. Gæd. ad l. 49. n.
15. de V. S. per princ. hujus tit. nostri.

II. Omnes autem res sunt vel divini, vel hu-
mani juris. Divini vel absolute vel quodammo-
do (a). Absolute divini juris sunt res sacræ (b),
Religiøsæ (c). Quodammodo res sanctæ (d). Et
hoc omnibus hisce rebus commune est, quod
nullius in bonis sint. (e).

(a). l. 1. ff. de rer. divis.

(b). Sacræ res sunt, quæ ritè per Pontificem DEO dica-
tæ sunt, ut ædes sacræ & donaria, §. sacræ. Instit. h. tit. per
quæ res mobiles intelligimus cum Don. 4. com. 1. Dn. Forst.
disp. 6. thes. 3. contra Cont. h.

(c). Religiosum locum unusquisque sua voluntate facit,
dum mortuum infert in locum suum proprium, vel alienum
domino consentiente, licet postea ratum non habuerit, §. 9.
Inst. h. tit. ubi existimamus cum Don. 4. com. 1. Crisp. in
notis. Vult. hinc. vulgarem lectionem negativam retinen-
dam esse, nec opus esse, ut textus corrigatur, quia utraq. lectio
veram

veram sententiam continet. Harp. h. n. 12. Dissent. Coras.
ad l. 9. §. religiosum. ff. de rer. divis. Hottom. & Vvesen.
hic. quos sequitur Foman. disp. 8. th. 19. lit. D. Loca au-
tem religiosa ll. 12. tabularum vetabantur esse in civitatibus;
Ita enim scriptum fuit: Hominē mortuum in urbe ne sepelito,
nēve urito. Cic. de ll. lib. 2. Et Divus Hadrianus rescripto
pœnam 40. aureorum statuit in eos, qui in civitate sepeliunt,
l. 3. §. Divus. ff. de sepulch. violat. Imperator Leo verò hoc
postea sustulit, Novel. 53. & constituit, ut tam intra, quam
extra civitates cuiq; mortuos sepelire liceat: Id quòd etiam
hodie jure Canon. c. fraternitas. ext. de sepult. & commu-
ni consuetudine confirmatum est.

(d). §. 10. Instit. h. tit. l. 1. ff. de rer. divis. Res sanctæ
reverà divini juris non sunt; sed dicuntur ita, propter simili-
tudinem, quia nullius in bonis sunt: Don. lib. 4. com. 1. Et
sanctæ propriè sunt, quæ neq; sacra, neq; profana sunt, l. 2. §.
3. ff. de rer. divis. Ad res sanctas autem referuntur portæ, &
muri, non tantum civitatis Romane, sed etiam aliarum civi-
tatum. §. sanctæ. 10. Inst. h. tit. l. 1. §. ult. ff. eodem. & idè
sancti dicuntur, quia pœna capitalis, in eorum violatores cõ-
stituta est, d. §. sanctæ, instit. h. tit. Cui jam consequens est,
etiam violatores murorū municipalium pœnâ capitali puniri
posse. Probatur hæc sententia etiam per l. ult. ff. de rer. divis.
ubi Pomponius hujus rei hanc reddit rationem, quòd hostile
sit & abominandū, muros transcendere. Quæ ratio non minus
locum habet in muris municipalibus, quam in muris civitatis
Romane, Hottom. h. Gæd. ad l. 5. n. 7. ff. de V. S. quos se-
quitur Philip. Hanon. disp. 4. th. 4. Diss. Heig. h. n. 6. & 7.
Bronch, cent. 1. afs. 16. & Dd. communiter.

(e). Non tantum quo ad proprietatem, verum etiam quo-
ad usum, §. nullius. Inst. h. tit. l. 1. ff. eod. eorū commercio ho-
minum exemptæ sunt, & alienari nequeunt. §. ult. Instit. de
empt.

empt. & vendit. l. si in emptione. §. 1. ff. de contrah. empt. l. inter. §. sacram. ff. de V. O. Hinc queritur, an res sacra & Ecclesiastica etiã ad impios usus olim relicta, ab illis, qui repurgata religionis sunt, in privatum patrimonium jure converti possint? Quod rectè negant Schurff. cent. 1. cõl. 48. Heig. h. n. 11. & seqq. Schne. h. n. 10. Dana. lib. 3. polit. c. 2. p. 176. & seqq. Semel enim DEO dicatum, non est ad usus humanos ulterius transferendum, c. semel. de R. I. in 6. Cl. 2. de relig. arg. l. legatum. 16. ff. de usu & usufr. legat. Et quæ divini juris sunt, Imperatoria potestati subjecta non sunt, c. convenior. 23. q. 8. Adde quòd naturali equitati nihil magis conveniens sit, quàm voluntatem domini rem suam alienantis ratam habere, §. per traditionem. Inst. h. tit. Qui verò rem DEO dedicavit, ita alienavit, ut sit & maneat sacra. Quamvis verò Anno 1555. in Comitibus Augustanis consensu Statuum Imperij conclusum & statutum sit, ne, qui monasteria aliasq; res Ecclesiasticas occuparunt, eo nomine inquietentur: Hoc tamen non propterea constitutum est, quod occupatio illa jure facta fuit, sed ut pax in Imperio Romano conservetur: Quod indicant expressa verba: zu erhaltung eines beständigen und ewigen friedens / ut ita Constitutio illa juri non obstat.

III. Humani juris res sunt vel publicæ vel privatæ (a). Publicæ sunt in usu vel omnium hominum, vel quorundam. Illæ dicuntur publicæ juris gentium & communes (b). Hæ vel jure gentium publicæ sunt (c), vel jure civili (d).

(a). l. 1. ff. h. tit.

(b). §. 1. & §. Inst. h. tit. Huc referri debent aer, aqua profluens, mare, & litora maris, §. 1. Inst. h. tit. Per aquam profluentem intelligimus nõ aquam pluviam, ut Accurs. h. neq;

neq; ipsum flumen; sed aquam fluminis. Don. 4. com. 2.
Hott. h. D. Forster. p. I. disp. 6. th. 2. Hodie mare & lito-
ra maris à Principibus ferè sunt occupata, teste Bald. in
Rubr. de rerum divisione, col. 2. & in l. cum proponas.
ff. de naut. fan. Sic Veneti domini sunt totius maris Adria-
tici, non tam ex occupatione propria, quam speciali Alexan-
dri III. Pontificis beneficio & concessione, ut refertur lib. 1.
rerum notabili. civit. Venet.

(c). §. riparum. 4. Instit. h. tit. Dicuntur jure genti-
um publica, qua sinibus alicujus gentis vel populi ita inclusa
sunt, ut in ejus ditione & potestate videantur esse, teste Do-
nell. 4. com. 2. Huc pertinent flumina perennia. l. 7. §. 4.
ff. de acquir. rer. dom. l. 4. in fin. ff. de rer. divis. l. 24.
ff. de dam. infect. Nam qua non sunt perennia, nec pu-
blica sunt, textus in l. 1. §. 3. ff. de flum. Item portus, qui
pars esse censetur fluminis, l. 59. ff. de V. S. alveus, §. 23. Inst.
h. tit. ripa fluminis, §. ripar. Instit. d. tit. Hodie flumina
navigabilia ad regalia pertinent, & non amplius publica
sunt, c. unic. quæ sint regalia, in usibus feudor.

(d). hæ sunt universitatis, veluti theatra, stadia, §. 6.
Instit. h. tit. basilica publica, l. inter. §. sacram. ff. de V. O.
Itinera publica, l. 2. §. 1. ff. ne quid in loco public.

IV. Differunt res publicæ à sese invicem,
quia quæ juris gentium publicæ seu communes
sunt, tam quo ad proprietatem, quam quoad u-
sum nullius in bonis sunt (a). Quæ publicæ sunt
jure gentium saltem usu publicæ sunt (b).

(a). l. 1. ff. h. tit. Et occupanti conceduntur, §. fera be-
stia. Inst. h. tit.

(b) §. 4. Instit. h. tit. Hinc omnibus jus piscandi commune
est in portu fluminibusq; §. 2. Inst. h. tit. Si tamen in divers
ticulid

ticulo fluminis publici solus quis pluribus annis piscatus sit, alium piscari volentē prohibere potest, modò adhuc in possessione sit, l. 7. ff. de divers. & tempor. præscript. Nam si non amplius in possessione est, & piscari desijt, alium prohibere nequit, l. præscriptio, 45. ff. de usucap. VVet. h. n. 3. Foman. disp. 8 th. 7. Donell. lib. 5. Com. c. 22. Bronch. cent. 4. als. 3. Hænon. disp. 4. th. 2. Diss. Balduin. h. Con. 3. cōm. c. 16. Jacob. Curt. lib. 1. variar. quæst. c. 54. qui, l. 7. ff. de divers. temp. præscript. negativè legendum, & particulam, non, verbo prohibetur apponendam esse volunt.

V. Res privatæ in bonis singulorum sunt (a) earumq; dicimur habere dominium (b), quod nobis acquiritur vel jure gentium vel jure civili (c). Modorum, quibus jure gentium rerum dominia nobis acquiruntur, principalium duo summa capita brevitatis causa constitui possunt, apprehensio & accessio.

(a). l. 1. ff. de rer. divis. §. 11. Inst. eodem. Don. lib. 4. com. c. 5. (b). *Dominium ita dictum à domo*, l. 195. §. 2. ff. de V. S. VVet. in parat. ff. de acquir. rer. dom. Donell. 9. com. 8. *variè hinc inde à Dd. definitur. Nos illorum sententiam approbamus, qui existimant, dominium nihil esse aliud, quàm jus rei dominandi. Rei autem appellationem ita accipimus, ut etiam res incorporales contineat. Hinc dominium dividitur, in dominium proprietatis, seu rerum corporalium & dominium juris. l. 11. §. 8. ibi, si ve dominus proprietatis. ff. de pignorib. l. 13. §. si ve corporis. ff. de damno. infect. Et quod etiam incorporalium rerum dominium sit, probatur præter jam allegatos textus, per. l. 4. ff. de usufr. l. 3. ff. si usufr. petatur. l. 17. ff. quibus*

quibus modis ususfr. l. 6. §. Iulianus. ff. de precario. c. quoniam. §. in alijs. extr. ut lite non contest. l. 1. ff. de bonor. poss. l. 1. 2. 3. C. de jure Emphyteut. Vult. ad Rubr. h. n. 29. & discept. 19. Dn. Forst. p. 1. disp. 6. th. 6. Gæd. ad l. 49. de V. S. Robert. lib. 3. animad. c. 9. Dissent. Coras. in l. 12. ff. de servit. n. 8. Don. 9. com. 8. Duar. 1. disp. 15. *Alij dominium dividunt in directum & utile*, Costal. ad l. 1. ff. si ager vectigal. Coras. lib. 6. miscel. 20. & Dd. communiter. *Quibus contradicunt* Don. 9. com. 14. Duar. 1. disp. 17. Vult. 1. discept. 19. & alij. *Sed si verum fateri velimus, disputatio non tam de re ipsa quam de verbis est: Quod n. hi dominium juris, illi dominium utile vocant, & sic in effectu conveniunt, duplex dominium esse statuentes. Proinde existimamus, cum de re ipsa controversia non sit, docendi causa dominij distinctionem in directum & utile, tanquam communiter approbatam haud absurdè retineri posse.* Gæd. ad l. 25. n. 7. & ad l. 27. n. 17. & 18. ff. de V. S. Coras. lib. 6. miscell. 20. H. eig. ad Rubr. h. n. 24. & seqq. & Dd. communiter. (c). *Videantur de numero modorum acquirendi naturalium* Vult. Ant. Matth. in notis. Harp. ad §. 11. Inst. h. t. n. 2. & seq.

VI. Apprehensio continet occupationem & traditionem. Occupatio captivitatem & inventionem. Captivitate res acquirimus tam extra bellum (a), quam in bello (b).

(a). *Extra bellum acquirimus res animatas, veluti aves, pisces, feræ bestias. Hæ enim sunt communes, & propterea jure naturali cuivis occupanti conceduntur, etiam in alieno fundo, §. feræ. 12. Inst. h. tit. si tamen quis alterius fundum venandi gratia ingreditur, ab eo prohiberi potest. d. §. 12. Inst. h. tit. Sed hoc non obstat, quo minus ita prohibitus feram bestiam in ipsius fundo captam suam*
B *faciat.*

faciat. Non enim ferae vestiae captio jure prohibita reperitur, sed ingressus, l. 3. ff. de acquir. rer. dom. l. non dubium. C. de ll. Regula itaq; quod, quae nullius sunt occupanti concedantur, stamus, usq; dum, hic casus à regula exceptus jure probetur. Vult. ad §. 12. n. 8. Don. 4. com. 8. Dn. Forst. p. 1. disp. 6. th. 12. Harpr. ad d. §. 12. Inst. h. tit. Arum. disp. 4. th. 11. Dissent. Cujac. 4. obler. 4. Longè alia ratio est animalium domesticorum & mansuetorum. Hac enim si quis dolosè cæperit, licet exigui precij sint, furti tenetur; quod probatur exemplo gallinae, §. 16. Instit. h. tit. & Pavonis, l. si pavonem. ff. de furtis. Schneid. VVesenb. Heig. ad §. 16. Inst. h. tit. Dom. Arum. disp. 17. th. 5. Hænon. disp. 4. th. 6. Dissent. Covarru. 1. variar. resolut. c. 7. n. 12. Quia verò jure gentium cuiusvis feras venari bestias cõcessum est, queritur, an jure hodie subditis à principibus venatione, interdictum sit? Quod affirmamus cum VVesenb. in par. de acquir. rer. dom. Harpr. h. n. 84. Fachin. 1. controvers. c. 1. Speckhan. cent. 1. quæst. 94. Gail. lib. 2. observ. 95. Heig. lib. 1. q. 15. Quamvis enim jus gentium immutabile sit, effectus tamen ejus propter civilem aliquam rationem publicam utilitatem concernentem, impediri potest. Naturali namq; rationi quoq; conveniens est, publicum utilitatem privatorum anteferri. argumento l. 1. ff. de usucap. Eam verò consuetudinem improbamus, qua subditi prohibentur, stantibus vel pendentibus adhuc fructibus, adhibitis canibus feras bestias ex agris suis abigere: Est enim irrationabilis, & contra utilitatem publicam introducta, eoq; nulla, arg. l. ult. C. si contra jus vel util. publ. can. mala. Can. frustra. dist. 8. c. 1. de consuet. in 6. Iohan. Harprecht ad §. 12. Inst. h. tit. n. 116. & seq. Quibus consequenter quoq; queritur, an capientes feras ultimo supplicio affici possint? Affirmamus si delictum hoc aliquoties

quoties commissum sit, aut alia circumstantia id augeat, arg. l. aut facta. 16. §. ult. ff. de poenis. Heig. d. lib. 1. q. 15. n. 80. Harpr. d. loco, n. 262. Indistinctè verò, & non consideratis circumstantijs ultimo supplicio eos punire admodum durum esse videtur, Marant. de ord. jud. p. 4. dist. 1, n. 45. & dist. 3. n. 17. Phil. Hæn. d. disp. 4. th. 5. circa f. V Vesen. in par. de acquir. rer. dom. n. 7. in f.

(b). In bello captivitate nobis acquiruntur res animatae & inanimatae. Animatae ut homines, bruta animantia, §. Itē ea. Inst. h. tit. In animata mobiles & immobiles: Et mobiles quidem statim acquiruntur militibus. d. §. 17. l. 20. §. 1. de capt. & postlim. revers. loh. Gæd. ad l. 3. §. 1. n. 10. ff. de V. S. Con. lib. 3. com. 5. Hæn. disp. 4. th. 7. Dissent. Don. 4. com. c. 21. adeò ut opus non sit eos à duce belli inter eos dividi, d. §. 17. & l. 5 §. ult. ff. de acquir. rer. dom. Dn., Forster. d. p. 1. disp. 6. th. 14. Arum. disp. 4. th. 12. Dissentit Duaren. de acquir. rer. dom. c. 3. Res hostium verò immobiles captæ duci belli acquiruntur, & vel publicantur, vel militibus assignantur, vel alia ratione alienantur, d. l. 20. §. 1. ff. de capt. & postlim. revers. l. 31. ff. de jure fisc. Harp. ad d. §. 17. n. 4. Gæd. ad d. l. 3. §. 1. n. 10. ff. de V. S. ubi rationem diversitatis reddit, cur aliud in immobilibus, aliud in mobilibus constitutum sit.

VII. Per inventionem res nobis acquiruntur, quæ vel jam nullius sunt, ut res pro derelicto habitæ (a) & thesaurus (b), vel nullius fuerunt, (c) ut lapilli & gemmæ (d).

(a). Pro derelicto autem habetur, quod dominus eâ mente abjecit, ut id in numero rerû suarû esse nolit. §. 47. Inst. h. tit.

Hinc quæ in tempestate maris levanda navis gratia ejiciuntur, regulariter pro derelicto non habentur, sed dominorum permanent. §. alia sanè causa. Inst. h. tit. argumento. l. 8. ff. ad L. Rhod. de jactu.

(b). Quod enim jam alicujus est, inventionem nemini acquiritur. Unde res amissas inventor non facit suas. & si dolo eas non restituit, furti tenetur. l. falsus. §. qui alien. ff. de furt.

(c). §. 40. Inst. h. tit. Et thesaurum quidem inventum in loco privato inventoris, naturali ratione totum ipsi acquiri expeditum est, d. §. 40. Sed an inventus in loco religioso aut publico totus inventori acquiratur, an verò inter ipsum & fiscum dividendus sit, juris valdè controversi est. Prius videtur Iustinianus affirmare in d. §. 40. Inst. h. tit. Posterius negare Divi fratris in l. 3. ff. de jure fisci. Hanc antinomialiam ut dissolvant, Dd. alij aliter respondent. Nobis placet sententia illorum, qui Iustinianum in d. §. 40. de loco religioso privato: Divos fratres verò in d. l. 3. ff. de jure fisci. intelligunt de loco religioso fiscali, Joh. Harpr. ad d. §. 40. n. 8. Gilk. ibid. n. 23. Con. lib. 3. com. c. 4. n. 2. Bronch. cent. 2. afs. 60. Jure Saxon. thesauri videntur pertinere ad regalia, qui profundius aratro sub terra jacent, lib. 1. Landrecht. art. 35. Verùm quia textus iste non loquitur de thesauris, sed de venis metallicis, Electorali constit. ult. p. 2. constitutum est, ut etiam in his terris secundum juris civilis dispositionem pronuncietur.

(d). §. 18. Inst. h. tit. l. 3. ff. de acquir. rer. dom. Quomodo verò gemma à lapillis differant, tradit Ulpianus in l. 19. §. pen. ff. de aur. & arg. legat. Dissent. Valla. lib. 6. Eleg. ult.

VIII. Traditio nihil aliud est quàm possessionis

fionis datio (a). Et est vel vera vel ficta seu quasi (b). Vera consistit in naturalidatione (c), Quasi traditio fieri potest, etiam nuda domini voluntate (d) & signo (e). Nihil verò interest res ab ipso domino tradatur, an ab alio ejus nomine (f). Semper tamen iusta dominij transferendi causa requiritur (g).

(a). l. si rem. 25. ff. de V. O. l. 3. ff. de act. empt.

(b). l. qui saxum. ff. de donat. Vult. ad §. 4. n. 5. Inst. h. tit. Hott. illust. quæst. 20. Cujac. lib. 4. obs. 3.

(c). *Veluti si res mobiles de manu in manum transferuntur, h. §. nostro. vel si quis in immobiliū possessionem realiter inducitur, arg. l. 1. de acq. vel omitt. poss. Philip. Matth. ad l. id quod nostrum, II. n. 15. ff. de R. J. Joh. Harpr. ad d. §. 40. n. 3.*

(d). §. interdum. 44. Inst. h. tit. *veluti si quis rem depositam depositario vendat, & patiat, eam ipsius esse. Sic rerum incorporalium propriè traditio non est, sed usus & patientia est loco traditionis, l. si ego. II. §. 1. ff. de Publ. in rem act. l. 43. §. 1. ff. de acq. rer. dom. l. 1. in f. ff. de S. P. R.*

(e). *Quod Imperator signo clavium declarat: si enim merces quis in horreo depositas vendiderit, & emptori claves tradiderit, mercium proprietates in ipsum transfertur, §. 45. Inst. h. tit. l. clavibus. 74. ff. de contrah. empt. l. 1. §. pen. ff. de acq. poss.*

(f). §. 43. Inst. h. tit.

(g) l. 31. ff. de acq. rer. dom. *Hinc queritur, si error circa causam transferendi dominij interveniat, an dominium transferatur? Affirmamus, si de corpore constet, l. 36. ff. de acq. rer. dom. Harpr. ad d. §. 40. n. 18. & seqq. Vult.*

ibidem. n. 8. Foman. disp. 9. th. ult. lit. B. Dissent. Arum. disp. 4. th. 21.

IX. Accessio in genere accepta, continet accessionem in specie ita dictam, & specificationem. Accessio vicissim vel naturalis est, vel industrialis. Naturalis, veluti fetus animalium (a) alluvio (b) Insula (c) alveus (d).

(a). *Rationalium & irrationalium*, §. 19. Inst. h. tit. §. nascuntur. Instit. de jure perso. Itaq; si equus tuus, inquit Fetus, equam meam pregnantem fecerit, non est tuum, sed meum, quod inde natum est, l. 5. §. 2. ff. de Rei vindic.

(b). *Quæ est incrementum latens, quando ita paulatim quid adjicitur fundo nostro, ut non intelligi possit, quantum quoq; temporis momento adjiciatur*, §. 20. instit. h. tit. l. 1. C. de alluv. l. 7. §. 1. ff. de acquir. rer. dom. Et hoc acquiritur naturali ratione domino proprietatis. Si tamen fundo usufructuario aliquid adjiciatur, ejus incrementi quoq; usufructus ad usum fructuarium pertinet, l. item si fundi. §. huic vicinus. ff. de usufructu.

(c). *Hæc in mari nata nullius est, eoq; occupanti conceditur. In flumine verò nata, si medium ejus partem tenet, sit eorum, qui prope ripam prædia possident, non tantum quo ad proprietatem, verum etiam quo ad usum*, 1. Quia lex non distinguit, §. 22. Inst. h. tit. l. 7. §. 3. l. 65. §. 1. ff. d. tit. 2. *Quia Insula, quæ ita in flumine nascitur, ut alveo cohereat, non in publico nascitur, sed in privato: Est enim alveus quatenus non tegitur flumine, privatus*. l. ergo. 36. §. 1. & 2. ff. de acquir. rer. dom. Don. 4. comm. 19. Dn. Forster. p. 1. disp. 6. thes. 18. Arum. disput. 4. th. 14. Foman.

man. disp. 9. th. 12. Ant. Matth. in not. Harpr. h. n. 7.
Dissent. Cujac. 2. observ. 9. & 14. obser. II. Pacius. cent.
6. q. 93. quos sequitur Hannon. disp. 4. th. 8. l. per ult. ff.
de acq. rer. dom.

(d). *Scilicet à flumine derelictus. Hic enim eorum est,*
qui propè ripam prædia possident, d. l. 7. § 5. ff. de acq. rer.
dom. §. quod si. inst. h. tit. l. 1. §. 7. ff. de fluminibus.
Don. lib. 4. comm. c. 28. circa finem.

X. Ad accessionem Industrialem referri
possunt Inædificatio (a), Implantatio (b), Sa-
tio (c), scriptura. (d), pictura (e).

(a). *Quicquid enim solo inædificatur, solo cedit, §.*
cum in suo solo Instit. h. tit. l. 2. ff. de superficiebus, l.
7. §. cum in suo. ff. de acquir. rer. dom. l. qui res. 98. ff. de
solut. l. qui domum, 50. ff. ad l. Aquil. Hinc si quis in
suo solo ex aliena materia sine voluntate domini ædifica-ve-
rit, ipse intelligitur dominus, modo ædificiam fixam &
immobile sit, l. 18. ff. de act. empt. l. 60. ff. de acquir. rer.
dom. Et dominus materiae eam neque vindicare, neq. ad
exhibendum agere potest, ne quis cogatur ædificia sua de-
struere. Sed ex LL. 12. tabularum in duplum tenetur,
hoc §. nostro. Et de mala fidei possessore an in duplum
teneatur, dubiũ quidem non est. Sed de bona fidei possessore
controvertitur. Distinguimus: Aut furtivum tignum, quod
à sciente alienum esse accepit, ædificio suo junxit. Aut alie-
num tanquam suum junxit. Priore casu etiam in duplum te-
netur, quia lex 12. tabular. loquitur de tigno furtivo alieno.

l. 1.

l. 1. ff. de tigno juncto. l. 63. ff. de donat. inter virum
& uxore. Id quod etiam ordo tit. de tigno furt. ostendit, qui
statim post tit. de furtis positus est: Et verò tignum à sciente
alienum est, bona fide acceptū, vitio furti affectum est. §. fur-
tivæ. 2. Inst. de usucapion. Nec ex hac dupli præstatione da-
mnum sentit, quia adversus venditorem de tigno alieno sibi
vendito actionem ex empto habet. Posteriore casu simpli-
cem saltem estimationem tenetur præstare, l. qui res. 98. §.
fin. ff. de solut. Et quia l. 12. tab. hoc de casu non loquitur
meritò stamus juri generali; quòd vult bona fidei possessorem
saltem estimationem rei præstare debere, d. l. 98. Bronch.
cent. 4. aff. 76. Gæd. ad l. 62. n. 8. & seq. ff. de V. S.
Philip. Hanon. disp. 4. th. 10. Caterum tignum restitu-
endo à pœna dupli se liberare potest, quia introducta est, ne
edificia rescindi necesse sit. l. 7. §. 10. ff. de acq. rer. dom.
Causa itaq; hac cessante pœna quoq; cessare debet. Nec alteri
per alterum iniqua conditio inferri debet. l. 74. l. 206. ff. de
R. J. Don. 4. com. 33. Dn. Forst. p. 1. disp. 6. th. 21. Joh.
Harpr. ad §. 30. Inst. h. tit. n. ult.

(b). Hac enim arbores & plantæ in nostro solo posite, no-
bis nō minus acquiruntur quàm edificia, quia utrobique eadem
est ratio, modo radices egerint, d. l. 7. §. ult. ff. de acquir.
rer. dom. l. 3. §. sed si quis. ff. arbor. furt. cæsar.

(c). Si quis frumento suo fundum meum conserverit,
fructus ex eo nati mihi quoq; acquiruntur, l. 9. ff. de acqu.
rer. dom. Fructus enim non jure seminis, sed soli percipiun-
tur, l. 25. §. 1. ff. de usuris. Quæ ratio quia locum quoq; ha-
bet, in bonæ fidei possessore, consequitur ipsum non tantum
fructus industriales, sed etiam naturales suos facere. d. l. 25.
l. 28. ff. de usuris. l. 48. ff. de acq. rer. dom. §. 36. Inst. h.
tit. Vult. lib. 1. discept. c. 20. V. Vesenb. ad d. §. 36. n. 10.
Inst. h. tit. Dn. Forst. p. 1. disp. 6. th. 26. Fachin. lib. 1.
contr.

contr. c. 57. Arius Pinel. ad l. 2. p. 2. c. 4. n. 55. C. de
releind. vend. Harpr. ad d. §. 36. n. 19. & seqq. Dissent.
Duaren. de usur. & fruct. cap. qui fructus in restitut. ve-
niant. Ant. Matth. in not. ad d. §. 36. Cujac. ibid. quos
sequitur Phil. Hænon. disp. 4. th. 11. *Hinc bona fidei pos-
sessor, si dominus supervenerit, & fundum vindicet de fru-
ctibus consumptis conveniri nequit, d. §. 36. Inst. h. tit. §. 2.
Inst. de off. jud. licet locupletior factus sit, §. 36. Inst. h. tit.
ibi, de fructibus ab eo consumptis agere non potest; quia hos
fructus lucratur. l. 4. §. 2. ff. fin. regund. lucrum verò esse
nequit, nisi quis fiat locupletior, Vult. d. lib. 1. discept. 19.
Bronch. cent. 2. als. 59. Harpr. d. loco. n. 36. & seq. Co-
stal. ad l. fructus. 33. ff. de Rei vind. Dissent. Covaruv.
1. variar. resolut. 3. n. 6. Hott. de usuris. n. 48. circ. fin.
*Extantes autem omnes restituit, l. 22. C. de Rei vind. §. 2.
Instit. de off. jud. d. l. 4. §. 2. ff. fini. regund. Anton. Fa-
ber. 4. conject. c. 17. Pinel. d. loco c. 4. n. 59. Dissent.
Donell. 4. com. 26. & in tract. de fructibus. c. 4. Quan-
do verò incipit scire rem alienam esse, ex eo tempore fructus
suos non facit. l. 23. §. 1. l. 48 §. 1. ff. de acq. rer. dom. Do-
nell. 4. com. 24. & 5. com. 17. Vult. d. discept. 19. Dis-
sentit Duaren. de naut. fænor. & quemadmodum quili-
bet alius male fidei possessor, non tantum de extantibus, &
consumptis; verum etiam de non perceptis, qui tamen per-
cipi potuerunt, tenetur, l. 62. §. ult. ff. de Rei vind. l. 22.
C. eodem. l. 25. §. 3. l. 40. §. 1. l. 56, ff. de hæred. petit.
Harpr. ad d. §. 36. n. 58. & seq. Vult. d. loco. Phil. Hæ-
non. d. disp. 4. th. 14. Dn. Forst. p. 1. disp. 6. th. 28. Co-
pus de fructibus lib. 2. & 4. c. 1. & 2.**

(d). §. literæ quoq; 34. Inst. h. tit. l. qua ratione 9.
ff. de acq. rer. dom. *Quia verò nostro tempore, ut pluri-
mum scriptura pluris æstimatur, quàm charta, eam de con-
suetudine*

suetudine scriptura cedere, tradunt Schneid. Valt. Harpr.
ad d. §. 34. Inst. h. tit.

(e). §. si quis. 35. Inst. h. tit. d. l. 9. §. 2. de acquir. rer.
dom.

XI. Specificatio est quando nova species vel
tota ex alienâ materia (a). vel partim ex alienâ
partim ex propria facta est. (b).

(a). *Hoc in casu si species ad pristinam materiam redu-
ci potest, veluti vas conflatum ad aurum vel argentem, §.
25. Inst. h. tit. navis ad tabulas, l. 61. ff. de Rei vind. do-
minus materiae est quoque dominus speciei (Quomodo vero ad
l. 26. ff. de acq. rer. dom. quae obstare videtur, responden-
dum sit, videatur Harpr. ad d. §. 25. n. 10.) Si vero ad pria-
stinam materiam reduci nequit, speciei dominus est, qui eam
fecit, d. §. 25. Species autem fieri potest, non tantum ex ma-
teria ejusdem, sed etiam diversi generis, veluti ex vino &
melle mulsum, quo casu confusio quoque dicitur, §. si duo-
rum 28. Inst. h. tit. Quod si tamen voluntate dominorum,
vel fortuito casu res confusae sunt, totum corpus quod ex confu-
sione fit, commune est, l. 7. §. voluntas. l. 27. in fin. ff. de ac-
quir. rer. dom. l. 3. §. ult. ff. de Rei vindic. Eadem ratio
est in commixtione, ubi voluntate dominorum corpora de-
juncta commiscuntur, §. 29. Inst. h. tit. Tunc enim corpora
commixta communia quoque fiunt. Si vero casu commixta fu-
erint, nulla inde communitio oritur, sed singula corpora in sua
substantia durant, & a suo domino vindicari possunt. l. 5. ff.
de rei. vind. Quo tamen in casu etiam iudicis officio incum-
bit, ut & mensura & bonitatis rationem habeat, l. 4. & 5.
ff. de Rei vind. d. §. 29. circa f. Inst. h. tit. Harpr. ibid.
n. 8.*

(b) Hoc

(b). *Hoc casu is dominus efficitur qui speciem fecit: cum non solum operam suam dederit, sed & partem ejusdem materiae praestiterit §. 26. Inst. h. tit. Quod ita verum esse existimamus, si species ad pristinam materiam reduci nequeat, argumento. l. 12. §. 1. ff. de acq. rer. dom. l. 23. §. 4. ff. de Rei vind. VVesenb. & Harprecht. ad d. §. 26, circa finem, Inst. h. tit.*

Et tantum quoque, ne instituto nostro simus prolixiores ad hunc de rerum divisione titulum proposuisse sufficiat: Si quae restant dubia, in ipsius textus ventilatione examinari possunt.


F I N I S.



Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher due to its orientation and fading.

Et tunc quod...
Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher due to its orientation and fading.

H. I. N. I. S.




05 A 2348

ULB Halle

3


003 784 118



VD 17







DISPUTATIO JURIDICA
De
RERUM DIVISIONE,
EARUMQUE JURE GEN-
TIUM, ACQUIRENDO
DOMINIO.

Ex tit. 1. lib. 2. Institut.

Quam
D. O. M. A.
In celeberrima VVittebergensium
Academia

SUB PRESIDIO

Dn. ALEXANDRI FA-
BRI J. U. D.

Ad diem 22. Junij privata Nobilissimorum
& Doctissimorum Dnn. Collegarum discussioni ho-
ris matutinis & pomeridianis subiciet
& defendere annitetur.

FRIDERICUS GUNTHERUS,
Lauba-Lusat.

VVITTEBERGAE,
Ex Officina Johannis Gormanii.
M. DC. XI.